



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117875

§. 40. Normanni grassantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

Sæculum IX. est & impeditus, sermo ob crebras parentheses & citationes interruptus. Ubique plura felicitis memoriæ & eruditionis, quam artis, aut politioris ingenii indicia occurrunt. Ipso extincto, res Ecclesiæ in Francia tenebris involuta. Nilominus Schola Remensis diu stetit.

§. XL.

Normanni grassantur.

Ann. Bert.
881.
Meten. 881.
Fuld. 881.

Anno superiore quoque octingentesimo octogesimo primo Normanni ingentem, quocumque devenerant, calamitatem attulerant. In Neustria Monasterium Corbejense, & Ambianum ceperunt. In Lotharingia, per Vahalin inventi, castra posuerunt Nimegii, quo incenso, mense Novembri ad oras Mosæ reversi sunt. Vastata tota regione flammæ injecerunt in Urbem Leodium, Trajectum, Tungros, Cameracum, Zulpicum, Juliacum, & Aquisgranum, ubi magnificum Caroli Magni Oratorium in equorum suorum stabulum converterunt, tandemque in Monasteria Indense, Malmudariense & Stabulense. Hæ urbes, hæc Monasteria omnia in cineres redacta. Monachi & Virgines Sacræ, quæ Barbarorum furorem effugere potuerunt, Moguntiam cum Sacris Reliquiis & Ecclesiarum suarum thesauris se receperunt.

Anno

Anno octingentesimo octogesimo in-
 eunte, cum Ludovico Rege Germaniæ
 e vivis erepto, copiæ, quas in Norman-
 nos immiserat, fuissent revocatæ, illi in
 regionem Ardennam irrumpunt, in E-
 piphania Domini Monasterium Prumien-
 se occupant, & per aliquot dies ibi com-
 morati, cum recessuri essent, incendunt.
 Omnia usque Confluentiam igne vastant,
 Treviros oppugnant, & civibus tum
 cæsis tum in fugam versis urbem quinta
 die Aprilis, in quam incidebat Cœna Do-
 mini, in potestatem redigunt. Cum ibi
 usque ad diem Paschæ mansissent incen-
 sis Treviris, iter Metas instituunt. Wa-
 la seu Valon Metensis Episcopus cum
 paucis copiis in irrumpentes imprudens
 movet, & interficitur in prælio. At
 tunc Barbari ulterius non penetrarunt,
 sed spoliis onusti reversi sunt. In Neu-
 stria Normanni omnia Monasteria Arte-
 siæ & Territorii Cameracensis concre-
 marunt. Mozomium & Diœcesis Re-
 mensis partem ad deditionem compule-
 runt. Cumque Imperator ex Italia ve-
 niens cum exercitu in eos movisset, i-
 psorumque castra, quæ ad ripam Rheni
 munierant, obsedisset, mutato subito
 consilio adduci se passus est, ut cum Bar-
 baris fœdera faceret. Godefrido alteri
 eorum Regi Baptismum suscipienti Fri-
 siam aliasque Ditiones dedit, alteri, cui
 nomen

Sæculum IX.

A.C. 882.

Fuld. 882.

Meten. 882.

Bertin. 882.

Sæculum IX.
A.C 883. nomen Sigefridus, magnam pecuniæ vim ex Thesauro Ecclesiæ Metensis aliorumque locorum Sacrorum acceptam tradidit, Hugoni Regis Lotharii filio usufructu Bonorum Episcopatus Metensis, Sede vacante, concessio.

§. XLI.

Fulco Archiepiscopus Remensis.

Cum Sedes Remensis, Hincmaro defuncto, aliquamdiu vacasset, rumor a malevolis spargitur, quod Clericus populisque Archiepiscopum elegissent, non expectato Visitatore, qui ipsis secundum Canones mittendus erat. Atque usque ad Regis notitiam delata est hæc calumnia. Quam ut diluerent, Clerici Remenses datis ad Hildeboldum Episcopum Sueffionensem aliosque Suffraganeos literis profitentur, nequam se Episcopum elegisse, nec etiam electuros, priusquam Rex Visitatorem misisset. Data est hæc Epistola quinta Februarii, cui Canonici Dominæ Nostræ (id est ad Beata[m] Virginem) Ecclesiæ Cathedralis, Monachi S. Remigii, Canonici S. Basilei & Theodorici, Monachi Orbacenses, & complures alii Vasalli Laici subscripserunt. Tandem electus & ordinatus est Archiepiscopus Remensis Fulco, vir nobilissima stirpe genitus, ab ineunte ætate inter Canonicos educatus, atque a Rege Carolo

zo. 8. Conc.
p. 871.

Anno 883.

Flod. IV.
hist. c. I. c. 4.